

020

018

024

014

029

009

069

119

Ende

Anfang

5

quandoque multum, quandoque minus, pro naulo recipiunt.
Tantum autem de expensis recipiendum mihi constat, quod
bursa plena et manus larga magnam deservit pacem in
peregrinatione illa. Multi etiam in suis libellulis peregrinalibus
nituntur determinatas directiones dare de diaetis, de expensis,
de regimine in mari, de conversatione cum Sarracenis, de
provisione per desertum, et de hujusmodi, quae tamen omnia
incerta sunt, et singulis momentis mutantur. Ideo etiam
transeo de istis, et remitto legere volentes ad alia peregrinalia.

Substantialia et necessaria illius sacrae peregrinationis
vobis in hoc Evagatorio late et clare aperui, et ad oculum
ostendi. Non solum autem vobis, mihi utique charissimi, sed
etiam quibusdam aliis, mihi minus notis communicavi, qui
accepto meo processu sibi ad suas personas ex eo libellulos
confecerunt, quod tamen mihi non displaceat, sed plurimum
placet, quia hoc, quod sine fictione didici, sine invidia
communico. Eodem modo mihi placet, ut hoc meum Evaga-
torium communicetis aliis nostri ordinis fratribus; praecipue
autem fratribus mihi singularissime dilectis Conventus Basi-
leensis, inter quos a puero educatus, et in religione et sacris
literis instructus sum. Demum autem dispositione Praelatorum
et Superiorum nostrorum, vobis in confratrem sum datus,
et conventui vestro appodiatus. Communicetis etiam rogo
Venerabilibus et Religiosis Dominis et Patribus meis in
insigni Monasterio Elchingen, sub generoso Patre et Domino,
Domino Paulo Kast, Abbe dignissimo degenitibus, Ordinis
S. Benedicti. Dominis etiam ejusdem ordinis in Wiblingen,
et in Blabüren vicinis nostris. Religiosis etiam Dominis et
Patribus Cartusiensibus in Bono-Lapide, et in Buchsheim, et
in Horto Christi. Idem communicari posco et devotis viris
Dominis Canonicis Regularibus vestris Concivibus in monasterio
Wengen. Sed et religiosis et reverendis confratribus nostris
Minoribus Ulmae, vobiscum commorantibus, quaeso communi-
cetur, ut et juvenes eorum legendu[m] Evagatorium in stabilitate
firmentur, et ex descriptione sanctorum locorum scripturam
sacram lucidius intelligent, et in devotione et contemplatione
magis proficiant. Non enim nisi ad profectum suum poterunt tam
maturi et religiosi viri hoc evagatorio uti, et si reprehendibile

